

19

SUMMA DOCTRINÆ MEDICÆ,

AD MENTEM COELESTIS MAGISTRI

SENTENTIARUM:

MORI EST VIVERE;

QUAM

SUB FAVENTISSIMIS COELORUM GRATIIS
PRÆSIDE

DEO HOMINE

EXCELLENTISSIMO UNIVERSITATIS HUMANÆ
MEDICO

CHRISTO JESU,

POST ADEPTAM DOCTORATUS MEDICI
IN TERRIS DIGNITATEM,
PRO PERENNI VITALIS ARTIS LAUREA

DIVI

COSMAS ET DAMIANUS

EXCELLENTISSIMI MARTYRES FELICISSIME
PROPUGNARUNT.

HORIS ANTE MORTEM ULTIMIS.

Dumque


EXCELLENTISSIMA FACULTAS MEDICA PRAGENSIS DIVOS EOSDEM
TUTELARES SUOS DIE ANNUO EORUM CULTUI DICATO DEVO-
TISSIME RECOLERET,

ORATIONE PANEGYRICA CELEBRATA
CORAM SENATU, POPULOQUE ACADEMICO
IN BASILICA TEYNENSI BEATÆ VIRGINIS IN COELOS
ASSUMPTÆ VTERO. PRAGÆ.

SUB RECTORATU
PRÆNOCBILIS, GENEROSI, CLARISSIMI AC CONSULTISSIMI VIRI,
D. WENCESLAI XAVERII
NEÜMANN, DE PUCHHOLTZ,
J. U. D. Sac. Cæf. Regiæque Maj. Consiliarij,
in Alma Universitate Carolo - Ferdinandea Pragensi
Codicis Profess. Regij, Publici, ac Ordinarij, in inclyto Bohemiæ
Regno Regij Fisci Adjuncti, & Advocati jurati, nec non
prædictæ Almæ Universitatis p. t.
RECTORIS MAGNIFICI.

SUB DECANATU
PERILLUSTRIS, GENEROSI, CLARISSIMI,
ET EXCELLENTISSIMI VIRI,
D. JOANNIS FRANCISCI LÖW,
Sac. Rom. Imp. & Provinciarum Hæreditar. Equitis
ab Erlsfeld, Domini in Loyowitz & Modletitz, Phil. J. U. &
Medicinæ Doctoris, in Universitate Pragensi Medicinæ Professoris Primarij,
Regij, Publici, ac Ordinarii, Sac. Cæf. Regiæque Majestatis Consiliarij, Sac.
Lateranens. Palatij, Aulæque Cæfareæ Comitis, ac Medici, Inclytæ
Facultatis Medicæ Senioris, & p. t.
SPECTABILIS DECANI.
à
FRANCISCO JOSEPHO BACHMANN,
Carolo-Thermenſi, AA. LL. & Philof. Magistro, Medic. Cand.
Anno M. DCC. XIV. Menſe Novembri Die

Vetero - Pragæ in Aula Regia, apud Wolfgangum Wickhart, Archi-
Episcopalem Typographum.



HONORI & VENERATIONI
REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS,
AC AMPLISSIMI
DOMINI DOMINI
MARIANI
HERMANN,
Sacri Canonici ac Exempti Ordinis Præmon-
stratensis, Regiæ Ecclesiæ Montis Sion, &
Milovicensis,
ABBATIS MERITISSIMI,
Ejusdémque Sac. Ord. per Provincias Cæsareas
VISITATORIS PERPETUI,
Nec non
Per Boëmiam, Hungariam, Austriam, Silesiam,
& Moraviam
VICARII GENERALIS,
Sacré Cæsareæ Regiæque Majestatis
CONSILIARII,

Domini Domini Patroni sui Colendissimi.

Reverendissime, Perillustris, ac Amplissime Domine, Domine Patronae Colendissime.

Formidarem reprehensionem à Pallade, si ad Te deferrem Summam unius Facultatis, cui omnes Sapientia infudit; formidarem inquam, nisi Tuum Reverendissime, Perillustris ac Amplissime Domine Domine Candorem meus pedsequus, de veneratum iret; ad Te purpurata procumbere etiam non auderet Oratio, nisi juncta Candori meorubicunda, dilectum sibi polliceretur adventum; non auderet, nisi majus dilectionis speraret auclarium, quod ad pedes Tuos Reverendissime, Perillustris, ac Amplissime Domine Domine meo delato Candore clientelari, Tuum sit lucratura, ac etiam evasura in dilectam. Purpura enim Candori sociata, dilecti est suffragium. Nemo Tibi disputare cogitat Purpuram, cum omnes Tibi eam non adjudicare ducant piaculo, nemo sacrum non admirari, honorareque gestit

gestit Candorem, nemo denique in Te Reverendissime, Perillustris ac Amplissime Domine Domine, dilecti DEO & hominibus non suspicit imaginem expressam, utpote quem transformatum in amantem dilectumque pie credimus, cum iveris de virtute in virtutem, ut jam resplendeat videatur que Deus Deorum in Sion; quem magni Consilij creavit Angelum Cæsar; gratissimum perpetuo exposcunt hospitem Provinciæ Cæsareæ, Mons Sioneus Reverendissimum Abbatem, amabilem Patrem devotè veneratur; Boemia, Hungaria, Austria, Silesia, Moravia, obsequiosè prosequuntur Vicarium Generalem, quem denique proprij reverentissimè, alienique non nisi amare constantissimè didicerunt.

Cum itaque Reverendissime, Perillustris ac Amplissime Domine Domine sic diligaris, quodque & alios complectaris amore, non sit controversum: audet humili confidentia ad Te accedere purpurata Oratio mea, tuoque postulat benignitatis Candori famulari. Quidquid illa honoris videtur posse afferre, est Tuum, Tibique Reverendissime, Perillustris ac Amplissime

Domine Domine dedicat præter sanguinis pro-
fluvium, quia Te vivere exoptat in perpetuum.
Rubore tamen suffunditur, quia Te his extollere
vult laudibus in brevi pagella legendis, qui omni-
um Oratorum elogijs Te decorantium imposuisti
merita, & dignitatem, Suadam eorum emensa.
Patere ut ruborem excutiat jam Tuo Candori præ-
sentata. Amat Te Reverendissime, Perillustris
ac Amplissime Domine Domine, his devenerari
pagellis, non ut condigne extollat, sed ut incipiat
Tibi esse à laudibus, quia vovet fieri à pedibus.
Non despice Reverendissime Perillustris ac Am-
plissime Domine Domine obsequii mei quale
quale rudimentum, submissò affectu delatum, pur-
purámque Divorum admitte venerabundè porre-
ctam: dum Favoribus Tuis Candidissimis superaf-
fusis dilectam efficies, atque subinde gratijs Tuis
pretiosissimis mihi eandem applicabis; erit Tibi,
honorique Tuo & dilectioni æternum devotè sub-
strata. Cape, fove, dilige, perenna.

Ità precatur

humillimus servus

FRANCISCUS JOSEPHUS BACHMANN.



ORATIO.

Quid otiaris Fama? quid in herba
quiescis? exsurge! nec requiem, nec
spem in herba colloca; herbæ fidere noli, ne-
que illam premere attenta, nisi culpabilis, pro-
pudiosæque damnari affectes inertiae. Imò
tubam corripe, nè forte ab ærugine devoretur, si os tuum non
applices. Non formida conficiendas à te in fluidæ crystalli
speculo genas inflatas, vultum deformaturo, quia nec tibi ini-
micus adest Mercurius, nec te circumfluit unda, sed undique
ambiant defluentes ab humeris purpuræ fluctus, oculique se-
quuntur labrorum gestum, non jacula specierum. Formæ
amittendæ non metue, quin à silentio cave, nè Harpocrates
tuum occupet imperium, nisi voce excutias Sceptrum. Re-
surge de Matris cespitosæ gremio, resume Spiritum, vocalem
mineram redanima, officio tuo non desis, salubriter spira, ac
vivere facias Sæculo immortali dignos, non pro diebus natos
minùsque pro noctibus, quæ silentio maritatae omnia fatali im-
plicant caligine, atque solùm nictitantibus stellis sua ostentant
cimelia. Respira, cornúque tuum vitæ redde, de quo locuples
profiliat nominum copia cum gloria, festivisque decantet accla-
mationibus decantanda. Eja age! purpura enim Heroum tar-

ditati tuæ jam succensa indignatur, mora urget, Honor impellit,
Virtus sollicitat; Minerva interpellat, Apollo mandat. Eri-
gere, & intona orbi, quòd pellatur mortis timor, propulsetur
vitæ ignorantia, exterminetur actuum vesania, Virtus trium-
phet inconcussa. Nunquid enim Alexandrini triumphi, mar-
tiaque Hectorum facinora tuo sunt inserta Catalogo, quo-
rum timere etiam manes debeas, nisi illos in æstimationis
preium proponas orbi? nunquid Deorum ingenja, porten-
tosi Minervæ partus tuum occupant album, quorum gloriam
per Divorum, hominumque mentes implantare tibi imminet. Et
adhuc torpescis, posteaquam inclyti sapientiæ Proceres **COSMAS**
& **DAMIANUS**, Excellentissimi Æsculapij, laudibus prosequendâ
rubescunt purpurâ, atque illi superaddere in votis habent se-
cundam. Linque ergo herbam pigra fama, nè tibi aptetur à
Medicis in flagellum, ipsaque ludibrium fias orbi, si eorum
dignitatem celebrare non sumas labori. At at insanit Famæ
superbia, & jam mutatur in Junonem, tibiam suam intorquet,
quasi fulgetrum à Jove mutuata, orbem fulminatura; simûl-
que vociferatur: purpuratos proclaimavi, purpurandos non ne-
gavi. Præterita evulgo, futura non propalo, aut damnari eo-
rum non debeo, aut ventura edoceri. Ità illa: Erudienda
ergo est: Purpuram induerunt medicam **COSMAS** & **DAMIANUS**,
Principes vitæ custodes, mortis terror; purpuram capeſſent al-
teram vitâ extorres, mortis amantes. Non satis est illis itâ
effe vestitis, ad altiora anhelant glorioſo provehi gradu, ad
gradum aspirant Doctoratūs, qui vera est sapientia, vitæ æter-
næ prodroma. Palleſcit illis purpuratum pallium, & murice
tinctum mortuale videtur Syrma, nec alio tingi volunt colo-
re nisi vitæ, atque proprio gestiunt cruore purpurari; non
credunt

credunt colori Sancti Doctores nisi suo., quem optimè nō runt: an vitæ æternæ sit Symbolum. Id ergo fama orbi explica, & quam antea in fulmen accendisti furore tubam, eadem Spiritum insuffla, nè cremetur tuaque simul incineretur gloria. Hunc actum publica publicum, omnibusque cœli ac terræ Academicis fac notum.

Verùm, ut eò celebriùs procedat sonitus tuus, Martem ad clangendum convoca, Musas ad decoram acciri facias Harmoniam, ut concentu unanimi tantæ præludatis actioni. Et Martem enim hic decet esse pedisequum, dum tanti bellicides pro cœlo dimicabunt, & suavem hic adesse justum est Pieridum chorūm, quia mansuetè pugnabunt, Te omnium par est esse Regulam, animamque. Medicus erit hic actus, atque vel inde temperamentō non carens, hinc Martem admone, ut ita aptet sua classica, nè Musarum interturbentur cantica, Musasque edoce, ut sua depromant jubila, nè à Marte sint secundæ; Tu dirige & adjuva chorūm tantæ festivitatis præambulum, ut par sit ipsi Divorum Martyrum propugnationi; erit illa Divorum COSMÆ & DAMIANI pro cœlesti Vitalis Artis laurea ultimum certamen, quo experimentum supremum Doctrinæ coelestis præbituri sunt Martyres, Summam Doctrinæ Medicæ posteritati Sangvine suo transcripturi, scientiam pudent Excellentissimam humanæ naturæ ex toto proficiam, Thesim defendant unicam ad Mentem Divini Sententiarum Magistri concinnatam: MORI EST VIVERE, VIVERE EST MORI. Ad cuius splendorem Magnifice Domine Rector, Spectabiles Domini Decani, Eximij, Clarissimi, Excellentissimi, Doctissimi Domini Professores, submississima Veneratione, & deo-
tissimâ reverentiâ postulamini, Spectatissimi Auditores, & ho-
norandissimi Spectatores.

Succenserem zelo vestro anheli purpuræ secundæ Candidati, atque temerariæ vos damnarem audaciæ; nisi nōsssem: quantum Vester capiat animus, quid valeant humeri ferre, quidve jubentur. Oportet enim verò ferre quod desideratis & desiderare oportet quod feratis. Geminata Vobis à Superis decreta est purpura, quia geminata Vestra id justè requirit Scientia. Scio à Clarissima Facultate bina dictari Jura: pro Choro, & Foro; sublimitatem Theosophorum conjungi Philosophis, uti cœlorum influxus terraquo; Eloquentiæ fulmina, ad mollia frangi Parnassi carmina, atque mira invicem unione copulari. Procreantur indè Justissimi Utriusque Juris Dictatores; Intelligentiæ Cælicæ, humanas regulant varietates; entheatis Oratorum labijs modulans aptatur facile avena; at nec conticere audeo etiam succrescere Medices Utriusque Magistros, qui nimirum sublunarem ex Motu Cordis calleant Medicinam Galeni, & supersolarem in termino quietam clariùs dignoscant Vitam Chirones. Regnum quod non patitur duos experimentalis inculcat paræmia, ab uno tamen plura posse versari imperia, & Bellona docet & gloria, maximè dum fortunato Macedoni unus non sufficit orbis. Pallas reproduci se à pluribus fatetur cerebris Proto - Parentis fui non absonis, ipsaque plurium infidet Capitolia, in quibus & pandit arcana Deorum, & Jura præscribit, & orbis evolvit Volumina, & Naturæ suffragatur universæ.

Atque hinc non abs re Divorum nostrorum geminata scientia, geminatam sibi incingi vendicat lauream, geminatam depositit purpuram, ut æqua mente adversari non possit invidia, tam justæ ambitioni.

Sed en! jam itur ad scenam , jam Fama buccinat Divo-
rum nostrorum eruditam cupiditatem. Consistunt in Orbis
facie Doctores purpurati , purpurandi secundò , ac probaturi
in Summa Doctrinæ propugnanda , fructuque illius legendō
parem dignitatem , utque solenniter testati sunt primam , ita
pariter , silendo etiam , patiendoque propugnabunt secundam
Scientiam . Verùm ubi Sapientum turba , ubi Senatus , Popu-
lusque Academicus , qui Judicium ferant de secunda Medices
Scientia , eamque coronent ? Aspecto equidem cohortem , de
qua inambulantes cerno , aliorum capita superbo calce quas-
fantes tellurem , vertices erigunt , oculos circumflectunt , ge-
nis tument , manibus rotant Sceptra , vestibus & ipsi rubicundi ; Hi fortè argumenta in Divos nostros intorquebunt , hi
de Sapientiæ sunt Collegio . Si enim lumina circumflectunt ,
Philosophos jurabis , quos ut rectè dijudicent , Aristoteles assi-
diuè adhortatur : Sensus esse probè applicandos . Si capita
erigunt , ultra vulgi quisquiliæ sunt depurati ; si genis tument ,
conclude scientes , quia Scientia inflat ; si manibus versant sce-
ptra , potestatis ostentant Magnalia , notantque dominatum vel
ignorantiæ , vel populorum ! Si murice pictam ostentant Chla-
mydem Sapientiæ , censentur Jubilati . Heus erravi ! quia
hos Doctores putavi , de quorum ut aliquid concludatur Ma-
gnificentia , probabiles exulent præmissæ evidentiâque compa-
ginentur argumenta , est necesse . Minimè ergo gentium de
domo Palladis sunt isti Aulici , tametsi enim rubescant , huma-
no rubescunt sanguine , quo suas inebriarunt Cyclades , licet
ferant Sceptra , nec idcirco Eruditorum occupare judicentur
Solia , quia incapaces Aulæ Apollineæ , qui se ipfos gubernare
non didicerunt ; quantumvis buccas inflent , non inflantur à

Scientia, aut à Minerva, quæ jam à semetipsa dēdōcta est inflare, atque commentitiè ultrà sibi affingi indignatur illud: Scientia inflat. Etiamsi capita erigant, non eapropter à doctrina venerandos æstima, imò depretia, Sapientūm enim capita, magis se inclinant, quia Pallade gravida; etiamsi oculos circumflectant, Philosophi non sunt, qui etiam sunt tales dum non videntur, probantürque Philosophi dum non vident. Nihil itaque Sapientiæ in hoc capitum cumulo reperio. Et quid autumatis, quænam ea congeries, quam prima fronte doctam effari non duxi vitio, nunc agnito cerebro stultam enuntiare affirmo par esse Virtuti? Audisti Panegyrim tuam cum tuis Tyranne doctissime, purpure Carnifex Diocletiane? tūne ille es, qui Divorum **COSMÆ & DAMIANI** periclitari scientiam attentas, atque secundâ purpurâ Divorum Medicorum doctrinam decorare? Primam fortè vis detrahere, non secundam largiri. Video Te purpuratum sed sanguine mortuorum, rubrum mare illæsus transisti, quia verò simul mortuum est, non elogiò sed dignus es suppliciò. Apage itaque tua cum purpura. Sed eheu! quò me abstulit error! Meritissimum enimvero in Diocletiano adoro caput, quod Excellentissimis Medicis arcana Naturæ enodanda objiciat, utpote qui circa Vitæ & Mortis proprietates non parùm est versatus, qui intima non paucorum scrutatus Viscera, qui quām plurima hominum anatomizavit millia, qui ut terminato Divorum **COSMÆ & DAMIANI** Medico certamine illis superindueret purpuram, priùs fecit suam, nè contra Philosophicam peccaret tessera: Nemo dat quod non habet. O! Praclarum Philosophum! O Praclarum Medicum ut ajunt, scelestum Mundi vespidonem. Egredere de Palæstra Galleni,

qui

qui curare non potes, quia insanis, nec post tantam sanguinis
humani in balneum tibi profusi curam, redis ad sanitatem.
Furijs agitur Pseudo-Medicus, quia Sanctis Fratribus secundos
successus invidet, ultrà eos videre detrectat, hinc ad oppu-
gnandam Divorum scientiam, convellendamque eorum pur-
puram substituit Pseudo-Medicæ suæ Decanum Lysiam. Ad
arma itaque cum tota Diocletiani Facultate provolat Lysias
Divorum Doctorum scientiam fracturus, & summam eo-
rum doctrinæ in partes, aut tracturus suas, aut discepturus.
Specula Orbis & audi. Inchoat ille, & qui ante meditabatur
fulmina, nunc spargit flores; Bene habet! medicam inchoat
temperaturam. Curâ non egent, qui sani sunt; Medice cura
te ipsum. Ità ergo exorditur à benevolentia: Excellentissi-
ma Vestra virtus, quam tota deveneratur Arabia, Regnorūm-
que conterminorum honorant nationes, multū nobis est in
pretio; deprædicant illam innumeri, quos fortunatae vitæ ap-
pulisti littori, aliás ad manes cymbâ Charontis deportandos;
nōrunt illam, qui ruituri erant in sepulchra, & jam tollunt
lætos ad fidera vultus; sentiunt illam, qui propè sensibus de-
stituti animas suas jamjam peregrinaturas ad Phlegetontem
Vestrâ industriâ domi suæ continuerunt, denique terrestres
vos colit orbis Deos, qui arte Vestra vitali, Vitam donatis,
producitisque continuam, quia conservatis. Unum est, quod
Vestro adversatur honori, quia refractariorum Jovi, Cæsari-
que capitum jam in sanie mortuali tabescentium malefacta re-
novatis & Vitam quam datis alijs, adamatis ipsi prodigere,
mortemque exosam apud reliquos facientes, ipsi basiatis; amo-
ri aliorum Vestra concordate facta, & augustos favores Vobis
conciliastis. Hoc primum argumentum opponitur, sed non
sternit.

sternit. Formam non habet bonam, licet de vita humanæ forma occupetur. Mediò caret terminò; quia duo extrema disjungit: Vitam & Mortem, conclusionem parit debilem, quia conclusioni Vita gloriæ adversatur; hinc ita resolvitur: Dare alijs Vitam & sibi accersere Mortem non convenit; atqui nos damus alijs vitam, & nobis accersimus mortem; ergo id non convenit. Major est minimæ difficultatis: Non convenit dare alijs Vitam, & sibi accersere mortem, si haec non sit vita novæ & melioris inchoatio, Conceditur; si sit, Negatur; atqui nos damus vitam alijs & nobis accersimus mortem, pari resolvitur methodo, & reliquum rejicitur. Cur autem perduelles nos inclamas rebellisque Jovi ac Cæsari, cui nunquam militavimus? nemo nobis illius favores spondeat, cujus Regno exulat Gratiarum trias, ac Mægæræ gynæcum earum loco capessit Imperium. Alius est Jove & Cæsare major DEUS, Imperator, & Magister, cui Sacramentum diximus Religionis & fidelitatis; aliis in cuius juravimus verba, voluntatem, Jura. Mori nobis pro illo est vivere, vivere sine illo est mori. Resumit Lysias, si Mors vobis vita est, ingredimini Catacumbas, in quas Jupiter cum Cæsare protertos fulminavit, & nec indicium offendetis vitale. ergo Mors non est Vita. Retorquetur à contrario: Dic Lysia, an elapso à Phosphoro ad Hesperum spatio, vita appropinques longiori, an verò ad finem Lachesis tuum devolvat filum? sanè dum nascimur morimur, nisi Christo vivamus, & cum Oriente ad occasum ruimus, si non pro cœlo vitam effundimus; cum tempore fluimus ad Lethen, nisi DEO momenta consecremus; cur ergo vitæ speciem Mors habere non possit, cur Vita non possit esse prodroma, si illius causâ spirare definas

desinas qui Vita est, Vitamque donat universis. Si Romulus inter Romana vivit rudera; si absorptus à fovea, fovetur in ore hominum Curtius; si Spartanorum funera in urnis calent, & cineribus; cur Mortem non arbitremur Vitæ Parentem? cùm etiam Thersites progeneret non raro Narcissum. Et quid oggeris Lysia Christianorum clades, num ijs Diocletianus Vitam eripuerit? Pro nostra etiam thesi pugnant hæc ossaria, quorum omnino Vita immortali vivunt Spiritus, nec illa inanima sunt, quia quiescunt ad digniorem Vitam de decreto à Cœlis lethargo postliminio resuscitanda, dum illis vaticinabitur Dominus Prophetarum. Sed enim nîl se proficere ratione, quin suam captari advertens Lysias, ab Authoritate Jovis & Cæsaris sumit argumentum: **COSMA & DAMIANE** Doctrinam Vestram eliminare, statuit cum Dijs omnibus Jupiter, execratur Imperator, Roma abominatur, cur in tot Divina Capitum Sensa non inclinati, atque in Unius Numinis Scientiæ Vestrae plantatis firmitatem? Cæsareis subscribite placitis, alioquin experimento compertum ibitis an Mors Vitam propullulet. Quid ad hæc divini propugnatores? exesto Lysia cum authoritate Jovis, qui nec atomi Author est, non interpone dignitatem Cæsaris, quam gloriose Christiani etiam proculârunt pusiones, Romam non immisce, quæ feris enutrita, cum Paulino lacte doctrinam Cælicam usque adhuc nauseat; firmum, fixumque nostris inhæret animis, Summam doctrinæ nostræ esse verissimam, certissimam: quia æternæ veritatis; vestram rationi adversam: quia omnis falsitatis, nullatenusque probabilem, atque adeò quam sequi tutò non decet; imò nec licet. Et quid plura? Jupiter tuus mutus est; quæ ejus doctrina? Diocletianus in ruderibus capita sepelit, non erudit;

quod

quod Magisterium? Roma hastam diligit, & sub hastam pri-
dem ipsam misit Minervam, jam nimium sibi infensam; quæ
nota scientiæ? denique tota Diocletiani cohors ingenij aciem
in aciem ferri convertit, ibique judicat residere Palladem, ubi
pro Saturni asseclis, ac adscititia Martis colluvie arcem ædifi-
cavit; imperet cadaveribus, conscendat Cathedram pestilen-
tiæ, nec in doctorum nostrorum numero appetat nominari, qui-
bus scientia cœli est in amore. Tangitur Lysias, & Jovis Cæ-
sarisque convitia assumit in tela, Catastas minatur & funera,
nî piacula ad aras Jovis expient fratres purpurati. Thus ado-
lendum offertur, venia promittitur, modò supplices accidunt
Jovi, illūmque gentili sacrificiō devenerentur. At noverunt
Excellentissimæ mentes, cui Thus divina determinaverit sapi-
entia usui, cuius Honori illud condiderit; quapropter recusant
eò insipientiæ delabi, ut à proposito desciscant doctrinæ medico,
quin illud ad finem deducere in animis vovent, vitam in morte
inchoaturi. Rumpitur Lysias, ipséque crematur furijs, thuris
locô Jovis in honorem, atque exasperato in divos nostros je-
cinore, quos argumentis stringere non poterat, vinculis man-
dat colligari, posthac argumentatus extra formam, quia di-
vinorum doctorum corpora tyrannicè deformaturus. Age
age Lysia deforma Excellentissima capita, ut eò nitidiorem
induant speciem, constringe membra & haec erit libertas;
nec enim minus est vitam de morte progerminari, quam de
vinculis libertatem, quam de vituperio honorem; si vitam
docent cum morte copulari, videbis inter vincula liberos, in-
ter opprobria festivos. Itur tamen ad catenas, quas Sancto-
rum injiciunt corporibus, carcerique mancipant Adelphos vin-
culatos. Sed plaudunt inter compedes; carcer illis palatum;
caligo

caligo meridies; fames Symposia; sitis refrigerium; doctrinā
namque eorum infallibilis, vitam probatura in morte in actum
redigenda, dispositiones etiam ad finem doctrinæ contrarias
probat non dissonare. Vinculari ipse jam mihi videtur Lysias
quòd non rumpatur invidiā, hinc ad novam tyrannidis speci-
em damnat Doctores purpuratos, ut Neptuno cedant in tri-
butum, qui Jovi ignes noluerunt adolere divinos; sinē
mora ergo jactantur ad undas. Non sic expugnabis carnifex
Divorum nostrorum Scientiam, quia his in aquis diluent ar-
gumentum. Et verè non capiunt eos fluctus, non absorbent
vortices, non tempestas conturbat marina, dum læta fronte de
profundo emergunt, priorique restituuntur stationi, suam
Scientiam manifestant Orbi ac mandant Oceano, ut per Regi-
ones idem devehat, festivéque admurmuret: quia Excellen-
tissimis cœli Doctoribus mergi est emergere, mori ac vivere
non dispar. Iterum tortor alieno laborat vulnere, & aquarium
ebrius diluvio, insaniens ad contraria vertitur tormenta, Vul-
canūmque convocat in auxilium, adversurus; num & flamma
ad Divorum Medicorum præsentiam datura sit aquas? erigi-
tur strues, inflammatur pyra, jam jam opinione carnificum Cor-
pora Sanctorum incineratura. Admoventur Divi Doctores
ad hæc incendia, sed, ut cœli favore eorum relucescat senten-
tia, ut summa doctrinæ tanquam aurum in igne depurata, au-
rea etiam fiat catena, mentes posteriorum in sequelam, & in
venerationem vinculatura. Devorat rogus Diana Deorūm-
que profanorum dona, Doctores nostros non tangit, imò fu-
git. Videto Tyranne, jam etiam ignis ipse Divorum agnoscit
præsentiam, ab eorum recedit statione, ac purpuræ capiendæ
præludens, linguis rubicundis in altum volantibus testatur Si-
dera,

dera, quia à tenebris alieni defendunt veritatem ad lucem, Doctores Excellentissimi. Heus Lysia! torqueris iterum ab hac flamma, dum torqueri non vides quos intendebas. Claréne ergo scientiam suam comprobant Fratres Sanctissimi, Excellentissimi Medici, quibus elementa cedunt in testimonium, mixta ex elementis in subsidium, cœlum auxiliatur in prodigium; an non per adversos insultus tuos in scientia firmantur? an non vivunt per mortem, quam toties mente barbara furoréque tuo voluntario intulisti? sanè in arena gloriose decertârunt chirontica, quibus adversariorum rabies cum veritatis confessione cedere debet in triumphum.

Nec adhuc satis est cohorti Diocletianæ comperta Cosmæ & DAMIANI virtus, ad extremum eandem experiri attentat Lysias, reaccitumque in opem geminatò postulat Vulcanum, ut exterritus non jam Divorum attentet majestatem adoriri, sed ferrum in Eorum appetet ruinam. Emollit ergo Mulciber chalybem, iteratis exacuunt ictibus Steropes, ac tandem Proserpina firmat. Plaudite Divini Medici Summam Doctrinæ Vestræ ex integro depugnaturi, ac purpurâ secundâ in brevi vestiendi. Adstat ergo vicarius Diocletiani carnifex, & horridior ipse ferro, de indurato Gentilitatis superstitionibus corde verba evibrat thesim divinorum Athletarum supremum captura. Ferrum ostentat, minatürque. Quò illud intendis Lysia? in capita inquit COSMÆ & DAMIANI. O! indoctam tuam oppugnationem! ultimum ergo à capite sumis argumentum, ferrô illud divisurus, visurisque an illic sint Palladis incunabula? age si lubet, ordire ita, nec ultrà disputa, quia doctrina Eorum vera est, nullæque opiniones hîc locum habent; sed discepta, capita Divorum sublaturus. Urgetur opus, & jam

jam

jam Vertices tenent attentos ad ultimum insultum Doctores gloriosi. Stringitur chalybs, fulgurant enses, rotantur in Sanctorum nostrorum capita, gemino in pretium doctrinæ purpurâ propriâ decorandæ emanante profluvio. Eja fama! resona Victoriam, infla denuò tubam, omne finitum est argumentum, Specimen Principale Divi COSMAS & DAMIANUS terminârunt. Cur stupefcis Lysia Doctores, & Doctores purpuratos, quorum pallidæ gloriam destinâsti Libitinæ? qui nunc Eorum sinistram admisssitare audebis Scientiam, si purpuram meruerunt, si eâdem donantur, si Eorum doctrinæ finis gloriosus, qui media sibi præludentia paria demonstrat. Ni fallor erubescis, aut expallescis ad Medicorum purpuram; expallescere ad Mortem, erubescere ad Vitam de Morte profilientem, ac utrumque honora. Respice cælum, idem, qui præsedidit pugnantibus Medicis Medicorum Christus, cælestis Medicæ gradum, quia Vitæ æternæ impertitur, idem qui illos erudiit, juratósque in suas suspexit Conclusiones, in Supernam inscritbit Academiam; denega illis Vitam; dum æternam adepti sunt. Doctrinam Eorum si capere potes Lysia, imitare; si non potes, venerabundus admirare, tuóque id refer Diocletiano: an adhucdum ad purpuræ hujus gloriam furere posthac velit, quem non Romanus tantum, sed alienus etiam à Roma debeat cavere; denique disce doctrinæ Veritatem, Summam Doctrinæ Medicæ adora. Vos verò Facultatis Vitalis (utì jam loqui licet) gloriosi Tutelares, Medicæ utriusque Doctores, Patrocinio Vestro, nutantem sub pondere infirmitatis humanæ Orbem sustentate, ac prima inter, Facultatem Excellentissimam favoris Vestri numerate objecta; novimus, quòd Vestro nobis doctrinam Medicinámque saluberrimam præscripsieritis

pseritis sanguine, cui honorando, celebrandóque encomijs nobis imposuistis laborem. Deveneramur Vos gloriosos Medicos, bis purpuratos, Summam Doctrinæ Medicæ ad Mensem Medici Medicorum plausibiliter propugnantes, similique ad Vestram erubescimus Purpuram, quia pares non sumus gloriæ Vestrae decantandæ,
quam

D I X I.

